UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi

Clagius, Thomas

Coloniae Vbiorvm, 1659

XI. Priores iduum Junii dies.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11544

Visual Library

empore votum ipſa dependere per ſe non poſſet, icem uxoris maritus etjam nunc ſupplevit.

## VIII.

### Dentium cruciatus incurabilis curatus.

Meelſaccenſibus, præſertim quibuscum in comitatu Lindam venit, adjungi debuit Gertrudis Laurentii Schrœter, è Damarau Schalmajenſis parochiæ villa, filia: niſi è Brunsbergenſium municipio eſſet, & magnâ inſuper leucâ longius quàm illi à Linda diſtaret. Incredibili dentium affecta cruciatu, eoque in tumorem primùm, deinde verò & in eriſypelas, ut putabatur, deſinente, atque oculi utriusque adimente uſum, Brunsbergam ſe (ut dentem, qui omnium maximè affligebat, curaret evelli) ultimùm experitura remedium contulerat. Verùm tanta erat gingivarum, vi tumoris excreſcentium magnitudo, ut dens ille neque evelli, neque adeò tangi ullo modo poſſet. Cùm igitur neque hoc, neque alia procederent remedia, procedendum illi, de amicorum conſilio, ad commune apud Lindam præſidium fuit. Quò, ubi votum peregrinationis, qua hodie defuncta eſt, ritè nuncupavit, præter omnium ſpem, omni morbo, periculoque perquam gravi imminente, confeſtim levata eſt.

## CAPVT XI.

### Priores Iduum Junii dies.

PRimis Iduũ Junii diebus, ſecundùm ludos piſcato-

rios, trans Tiberim fieri ſolitos, menti in Capitolio, ſacra apud Romanos fiebant, quia belli Punici tempore, ut Ovidius in Faſtis canit, cùm

*—— Letho Conſulis omnes*
*Attoniti Mauras pertimuêre manus;*
*Spem metus expulerat: cùm menti vota ſenatus*
*Suſcipit, & melior protinus illa venit.*

Sicubi locorum, apud Lindam certè Marianam, *melior*, uti alibi (a) vidimus, mens pluribus mortalibus redit: cujus rei causâ, non fabuloſæ veterum Deæ Menti, ſed à quo bona mens hominibus venit divino ſpiritu, cujus in terram deſcenſus hiſce plerumq; diebus colitur, ſacra quàm religioſiſſimè decet facere, quemadmodum facere ſolent, qui per manus Divæ Lindenſis id faciunt.

## I.

## Brachii utriusque reſtitutus uſus.

Octavâ ante Idus Iunias die venit Lindam è Popowo pago in Maſovia juxta VVanſoſium, ad ipſos Pruſſiæ, Maſoviæ, Subſilvaniæqúe fines ſito, & plus viginti leucis Lindâ diſſito, Simon Tilipczyk opificio pellio. Præ nimio cruciatu, qui ipſa pervadebat oſſa, uſum brachii utriusque per aliquot jam menſes amiſerat, ſibi juxta ac hero, cujus erat ſubditus, prorſum inutilis. Miſerata ipſius ſortem magis quàm ſuam hera matrona nobilis, votum illius causâ Lindam concepit, & ille ab eo ipſo tempore, brachiorum uſum ſanitatemqúe recepit, atque hàc die gratias eâ de causâ ſecundum Deum ſoſpitatrici Deiparæ egit.

II.

(a) *lib.* 1.

## II.

### Duo ex illuſtriſſimi Epiſcopi Varmienſ. familia ſanati.

Martinus Arnd, in Vogtshoff illuſtriſſimi Epi-ſcopi prædio juxta Seeburgum ſito curatorem age-bat, cujus uxor Gertrudis inſperato juxta ac pericu-loſo plurium dierum morbo excruciata, nullo alio, niſi voti Lindam facti remedio convaluit. At verò Albertus Kurowsky Biſchdorffenſis equariæ præfe-ctus, tredecim hebdomadas atroci morbo oppreſ-ſus, non immemor beneficii jam aliàs à Diva Lin-denſi obtenti, æquè facilè potuit ſalutem ab ea ſpe-rare, & obtinere (quemadmodum etiam obtinuit) atque alias cùm quindecim amiſſa ejusdem equariæ capita, per ignotas errabundus ſilvas quæritans, vo-to Lindam facto, & pecus, & viam, quâ domum re-verteretur, facilè Deiparæ ope invenit.

## III.

### Aliquot Meelſaccenſes gratiam & beneficia experti.

Eâdem die, inter peregrinos complures, diverſis ex locis confluentes, acturi pro beneficiis gratias Meelſacco, vel ex adjectis illi pagis adfuerunt non pauci. Gregorius Falck gravi lateris ſiniſtri dolore; Sabina Michaëlis Kenſing uxor, ſacro igne faciē per dies plures depaſcente; Eliſabeth Gaſparis Hintz iti-dem conjux, dolore oculos per ſexennium graviter affligente; ſimiliter Gregorii Falck uxor Gertrudis lentâ trium annorum tabe, quâ conficiebatur, levati

ſunt, ubi votis Lindam nuncupatis, Deiparæ opem implorârunt. At verò Barbara Michaëlis Lilienthal uxor, & Joannes Eichholtz è Libenau coloni, tam atroci capitis erant cruciatu vexati, ut hic quidem etjam mente moveretur, illa verò per hebdomadas octo, quietem nullam capere poſſet; uterque repente convaluit, ubi votum ſoſpitatis causâ Lindam fecit. Deniq; & Matthæus Greil è Strawendorff ad Parochiã Plaſtuicenſem pertinente villâ, luxati pedis dextri, ut & filioli Petri, jam accensâ candelâ agonizantis præſenti admodum periculo remedium Lindâ invenit.

## IV.

### Heilsbergenſium quorundam preces & vota exaudita.

Joannes Fleiſcher Heilsbergenſis civis, viceſimi jam anni peregrinatione apud Lindam Marianam defunctus hâc die eſt: totidem enim jam annis è Germania (ubi omnes fere belli tam diuturni, quo Imperium Rom. conflagravit, exſorbuerat tempeſtates) in patriam redux tranquillè agit. Igitur cùm inter tot ac tantos belli illius fluctus non modò verſaretur, ſed & ſæpe iisdem hauriri obruique videretur, ad B. Virginem Lindenſem, quaſi ad Pharum cæleſtem continuò reſpexit; factoque, quoad viveret, annuæ peregrinationis voto, omnes belli hoſtiumque minas feliciter evaſit. Tanto igitur alacrius in hoc ſacro ſtudio, tot jam annos decurrit, quantò & plura, & periculoſiora olim erant belli ſtadia, quæ ille, quemadmodum temporum neceſſitate adactus, ita Deipara

aræ Lindenſis ope, ſoſpes & propemodum intactus ſecurrebat. Minore tempore ſed non minore fortaſſe vitæ periculo Martinus Grunenberg è Napratten agri Heilsbergenſis pago, per hebdomadas quinque am febre, & Anna Georgii Ketz ex eodem pago coloni uxor, cum pedis cruciatu, eorundemque filius annos quindecim natus, cum cordis palpitatione, ſunt conflictati; uti neque minore Deiparæ præſidio omnes è periculo erepti. Quod in ejuſdem quoque municipii pago Kleiditten dicto, experta eſt Urſula Petri Engelke coloni uxor; quæ tum enormi ulcere collum obſidente, tum ſterilitate, quam per quinquennium in conjugio toleràrat, liberata eſt; non alio ſanè, quàm quod reliqui adhibuerant, voti Lindenſis præſidio.

## V.

## Gutſtadienſium quoque nonnullorum audita vota.

Anna virgo Gutſtadienſis Gulielmi Kis, filia; adhæc Joannes Rung & Urbanus Kraus è Nusberg, at verò Sabina virgo è Wolffsdorff Gutſtadienſis municipii pagis, eâdem hâc die ſua in acceptis beneficia Deiparæ Lindenſi detulerunt. Ac Sabina quidem novem hebdomadum febri, Anna verò deliquiis ex ingenti dolore capitis etjam in Templo ingruentibus, Urbanus item dolore per quàm atrociter tum in ſpina dorſi, tum in altero pedum ſæviente, denique & Joannes immani dextri pedis apoſtemate, quod ne quidem ſtrato levare pedem ſinebat, relevati ſunt.

## VI.

### Tres alii incertis ex locis, ſimilia experti beneficia.

Per anguſtias temporis negotiorumque multitudinem evenit, ut loca è quibus peregrini ſequentes Lindam appulerant, conſignata non ſint, conſignatis eorum tum nominibus, tum morborum calamitatumque generibus. Petrus Borkowsky opificio piſtor, febri, quam alibi contraxerat, apud matrem diutius æſtuabat, ut læſo inde cerebro, ſupra febrilem æſtum, quodam quaſi œſtro videretur percelli; tres enim hebdomadas à ſenſibus prorſum alienatus delibârat. Verùm ubi ſe ſub Tiliæ Marianæ umbram per votum conjecit, & mentis & febris æſtus abſceſſit. Eodem tempore Joannes Gland, cum ſua conjuge adfuerunt, ut ſacrâ ejusdem Tiliæ umbrâ quaſi coràm refocillarentur, qui vel abſentes præſentiſſimum illius ſenſerant auxilium. Ille enim perquam noxio oculorum dolore, iſta verò totius corporis, quam per quinque hebdomadas ſuſtinuerat, ægritudine ſunt levati.

## VII.

### Matrona nobilis ignoto morbo exempta.

Magdalena è Zagorniorum genere, nobilis ac generoſi Georgii Nitſch Allenſteinenſis Burggrabii, & in Nickelsdorff Hereditarii conjux, diuturno exagitata morbo, quatuor hebdomadas lecto affixa tenebatur. Cæterùm, quæ nonniſi aliorum manibus atque operâ commoveri loco poterat, ſponte deinceps inco-

columis ſurrexit, ubi Deipara Lindenſis, per ſingu-re peregrinationis votum implorata, manum auxi-tricem admovit.

## VIII.

### aleficia, eryſipelas, & inſania Traumburgenſibus quibusdam depulſa.

Quatuor unius ejusdemque apud Traumbur-gum domus mortales, non uno morbi calamitatisve genere afflictas, una apud Lindam Marianam invo-cata Dei Mater, omnibus exemit malis. Anna Petri chroter civis Traumburgenſis filia, unà cum Mi-chaële Maran uterino fratre, ad v. Idus Jun. Lindæ præſentes, rem, uti evenerat, percenſuerunt. Ante no-vem annos, operâ cujusdam maleficæ (quæ etiam in quæſtionibus crimen ultro confeſſa deinceps eſt) An-eò demum redacta erat, ut omnibus quidem ex-cruciaretur membris, manuum verò, & maximè pe-dum, uſum haberet omnino nullum. Primum annum propè integrum ſtrato & alio quovis loco, nonniſi aliorum manibus, dimoveri potuit; tribus verò dein-ceps conſequentibus annis, ad parietes & ſcamna ut-cunque connixa reptabat. Variis nequidquam reme-diis adhibitis, ultimum, quod à B. V. Lindenſi peti-tum eſt, profuit. Poſtquam enim, adjecto cereo ana-themate, peregrinationis Lindenſis votum fecit, o-mnis mali vis ilico remiſit. Unde ante tres annos iter Lindam ingreſſa, vix aliquid doloris perſenſit; regreſ-ſa verò domum ita omnino convaluit, ut ab eo tempore, variis laboribus, quos etiam incolumis pertulit, operam addicere ſuam potuerit. Porrò hoc ite-

iterum anno remenſa idem eſt iter, cùm ut pro accepto tanto beneficio gratias referret, tum etjam ut ſuſceptum matris causa votum perſolveret. Cùm enim mater jam annoſa, eryſipelate, uſque ad periculoſam, quin & lethalem exulcerationem (quæ ex ardore malì in atrum colorem degenerârat) pedem dextrum afflicta, nihil in humanis ſperare amplius præſidii poſſet, filiæ, quæ tum in ſe, tum in patre ſuo veneficiis iisdem perſtricto, opem Deiparæ experta jam fuerat, conſilio impulſa, peregrinationem quidem Lindam vovit; ſed cùm per decrepitam jam ætatem ſuſcipere eam ipſa non poſſet, ut filia ſuſciperet, rogavit: annuit filia, proinde & Deipara utriusque votis haud gravatè quoque annuit; nam pes matris, qui nonniſi ferrum & ſectionem exſpectabat, ſanitati reſtitutus eſt. Jam verò Michaël frater, ſive alia, ſive eadem maleficiorum vi, ad trium fere menſium inſaniam, ante triennium adactus, ſimul ac votum Lindam fecit, menti & viribus reſtitutus, jam tum votum peregrinationis abſolvit; quam tamen, ut beneficii memor, etjam hoc anno iterum inſtauravit, ad v. Id. Junias.

## IX.

### Brunsbergenſibus quibusdam collata beneficia.

Eadem die, inter plures Brunsberga peregrinos, quaterni, qui ſingularia Deiparæ Lindenſis experti beneficia, ſunt cenſi. Petrus Klein è pago Zager oriundus, eryſipelate dextrum pedem ante triennium depaſcente, & omnem chirurgorum operam eluden-

dente, nonniſi manibus reptando, movere ſe, per octo hebdomadas, utcunque loco potuit. Ita manus inter, vanamque eatenus chirurgi curationem poſitus, ad B V. Lindenſem propius ſe, per votum illi factum, convertit, & exinde incurabilis morbi peſtem ab ſe avertit. Accurriſſet ille è veſtigio ad ſuam ſoſpitatricem, verùm obſequiis atque imperiis, quibus obnoxius erat, aliorum impeditus, nunc tandem propè ſe per vim omnibus exuit pedicis; & quibus viribus à voto ſemper fuit, iisdem viam ſedecim leucarum incolumis & lætus decurrit. Jam verò Petrus Inſterberg ſuburbii, Keslin vulgò dicti, inquilinus, jam ante annum gravi morbo per hebdomadas tres omnino depoſitus, ut per duas noctes cereus tanquam migraturo ſemper in promptu eſſet, ubi mortis periculum ita propinquam advertit, propius ſe ad *Lignum vitæ*, quod apud Lindam Deus in Deipara collocavit, per votum peregrinationis admovit. Et vix ediderat votum, cùm voti compos ſanitati priſtinæ eſt redditus. Quod porrò ſecius aliquanto promiſſam executus ſit peregrinationem, à Gertrude privignâ ipſius, remora fuit. Hæc enim octavum circiter ætatis annum, jam ante quinquennium agens, utrumque pedem clauda ſubitò effecta, & per hebdomadas aliquot nonniſi parentum manibus geſtata, matris ſuæ Annæ voto beatæ V. Lindenſi oblata, ſtatim convaluit; jamque tum, quantum per vires ſibi à Deipara reſtitutas licebat, peregrinationem pedes ingreſſa fuiſſet, niſi ætas tenerior, aut potius timor parentum, poſuiſſet obſta-

obſtaculum. Et quia nunc quoque, cùm maximè & poſſet & vellet, ab heræ ſuæ obſequiis avelli tantisper non potuit, peregrinationem ſuam differre in aliud tempus, & per vitricum duntaxat ſuum, gratias interea ſoſpitatrici ſuæ agere neceſſe habuit. Felicior ea in parte Anna Valentini Jonik filia, quæ ſicut voto Lindam nuncupato à ſævo capitis dolore, qui ſex circiter hebdomadas tenuit, liberata rea voti facta eſt, ita peregrinatione hodie abſolutâ, omni votorum nexu expedita eſt.

## X.

### Comitialis morbi vis plurimùm mitigata.

Petrus Glockner, ex Baſien Vormditenſis agri pago, hâc eâdem die v. Id. Jun. filiam ſuam Barbaram, undecimum ætatis annum necdum egreſſam virginem, Virgini Deiparæ voti ream exhibuit. Correpta illa erat ab ipſa infantia comitiali morbo; qui quemadmodum per metum gravem infanti à cato incuſſus fuerat, ita pariter per votum ad loca ſacra erat depulſus. Eo tamen ante triennium vehementius recrudeſcente, pater B. Virgini Lindenſi votum nuncupavit, & pedes ultro citroque peregrinationem, filiæ admodum proficuam, proſperè abſolvit. Ab eo enim tempore, filia, nonniſi plurimùm remittente vi morbi, tentata fuit; à quo, ut penitus liberaretur pater illam ſibi modò peregrinationis comitem eſſe voluit: & ſperat uterque medicam Deiparæ manum, ut, quæ germina mali revulſerit, ipſum à ſtirpe malum revellat.

CAPUT

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN